

re & inaudita: His antiqua non sordent, si cum veritate perennent, cum ad invenienda nova ab inventis antiquitus viam sibi stratam esse non ignorent: Hi verum bonumve nihil aestimant eò quod priscum sit, cum etiam *χρὲς καὶ πρῶτῃ* nata elapsis aliquot seculis inter antiqua censenda videant; nec ideò malum aut spernendum quidquam, quia novum est, quandoquidem & antiquissima quæq; in exortu suo fuisse nova animadvertunt. Hi gratâ mente confitentur, ex *Platone* se multa, ex *Aristotele* quamplurima, ex *Epicuro* quoque nonnulla, è cæteris superiorum temporum Philosophis non pauca didicisse, multò quoque plura docendos, si, quæ periére proculdubio, *Pythagora*, *Parmenidis*, *Melissi*, *Leucippi*, *Speusippi*, cæterorumq; scripta doctissima superfuissent. Quod si tamen aliqua meliùs edoctos sese à modernis aut expertos rectiùs ipsosmet, intrepidè affirment, ideò non magis ingratorum nomen merentur, quàm *Aristoteles* aut *Cicero*, cum hic *recentissima quæq;*, inquit, *sunt correctæ & emendata maximè* Lib. I. Acad. Quæst. ille verò *τὰ πλεῖστε τῶν ἀρχαίων*, ait, *ἢ τῶν διήρθητων τῶν νεωτέρων*. II. Polit. c. XI. t. 169.

VI. Quandoquidem autem non aliunde majores animorum collisiones in Philosophantium turba exortæ unquam sunt, in receptæ quoque fidei noxam & Reipubl. perniciem haut rarò redundantes, quàm cum novam prorsus Philosophiam introducere, veteremq;, quòd unis alterisq; ejus hypothesibus ocularis experientia reclamare deprehensa esset, uno impetu exturbare quibusdam ausis, alteri huic ex opposito obniti omnibus viribus, ne istis quidem admisfis quæ sole ipso quod ajunt clariora erant, illius autem omnia, etiam manifestè convicta, mordicus tenere, tueriq; sustinerent ( id quod vel moderno exemplo suo tumultuosis ejusmodi Philosophantium factionibus etiamnum afflicta *Batavia* comprobat ) ab Electivo sanè Philosophandi proposito neutrum illorum venit metuendum. Hoc enim majorum

C

philo-